MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1173
5

Digitized by Google

OFFICIVM
S. PASCHALIS
BAYLON
CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

Duplex ſecundæ Claſſis, cum Octaua.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphona. De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput.

Pſal. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, & loco vlt. Pſal. Laudate Dominum omnes gentes.

Aña. Memoriam fecit Dominus mirabilium ſuorum, eſcam dedit timentibus ſe. Aña. Diſperſit dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi, cornu eius exaltabitur in gloria. Aña. Suſcitat Dominus à terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem, vt collocet eum cum Principibus. Aña. Populi laudauerunt Dominum, quia miraculis ſanctum ſuum mirificauit.

Capitulum. 1. Cor. 1.

VIdete vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi, vt confundat fortia.

Hymnus.

LÆta deuotè celebret Minorum
Turba Paſchalem, recolens frequenter
Quam pio, ſanctam venerans Synaxim,
Arſit amore.

Dum puer paſcit pecus iſte, ſeque
Pane iam paſci cupit Angelorum,
Hunc in excelſis meruit patente
Cernere cœlo.

Iugiter ſacras inhians ad aras,
Dum Cibum vitæ meditatur hæret;
Totus, & ſancto liquefactus igne,
Lucet, & ardet.

Increpans hoſtes Fidei fidelis,
Pane, ait, Chriſtum recipi ſacrato:
Martyrem non dat gladius, ſed ipſum
Prompta voluntas.

Qui, quoad vixit, coluit ſupernum
Tam piè Panem, reſerat beatos
Morte iam clauſos oculos, velutque
Viuus adorat.

Chriſte, Paſchalis meritis, vt omnes
Corde nos mundo facias precamur;
Cęlica vt dignè mereamur eſca
Sæpè cibari. Amen.

℣. Ora pro nobis beate Paſchalis.
℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ad Magnificat, Antiphona.
Exaltauit humilem Dominus, & eſurientem impleuit bonis.

Oratio.

DEvs, qui Beatum Paſchalem Confeſſorem tuum mirifica er-

A ga

1872
1123.5
Digitized by Google

ga corporis, & ſanguinis tui ſacra myſteria dilectione decoraſti; concede propitius, vt quam ille, ex hoc Diuino conuiuio, ſpiritus percepit pinguedinem, eamdem & nos percipere mereamur. Qui viuis, &c.

AD MATVTINVM.

Inuitatorium.

Chriſtum Regem, qui humilem exaltauit Paſchalem. * Venite adoremus.

Hymnus.

Splendor paternæ gloriæ
Adeſto, Ieſu, ſeruulis,
Vt queis micarit moribus
Paſchalis orbi, concinant.

Illum dies hæc aurea
Terris refulgens attulit;
Hæc, & decorum laurea
Victrice, cœlis retulit.

Adhuc puer virtutibus
Excultus, is nitentibus,
Pia, modeſta, ſobria,
Puraque vita claruit.

Feruens Minorum poſtmodum
Ingreſſus arctas ſemitas,
Nil ad ſiniſtram Regulæ,
Ad dexteramve deuiat.

Hinc ſancta membra ſæuiter
Flagris cruentis purpurat;
Nulliſque fœdat ſordibus
Caſti pudoris lilia.

Chriſtum ſequendo pauperem
Nil, præter hunc, deſiderat;
Sed mundo in hoc diteſcere
Sola cupit penuria.

Ad vſque mortem firmiter
Vt verè & ipſe obediat,
Vitæ ſubit diſcrimina,
Ne quando ſubdi deſinat.

IESV, tibi ſit gloria
Merces perennis pauperum,
Qui mente pura, & ſimplici
Iuſſis tuis obtemperant. Amen.

In primo Nocturno.

Antiphona. Beatus vir, qui in lege Domini meditatur; voluntas eius permanet die, ac nocte, & omnia quæcumque faciet, ſemper proſperabuntur.

Pſalm. Beatus vir. cum reliquis, vt in Communi Conf. non Pontif.

Antiphona. Beatus iſte ſanctus, qui confiſus eſt in Domino, prædicauit præceptum Domini, conſtitutus eſt in monte ſancto eius.

Antiphona. Non timebo millia populi circumdantis me, quia ſuſceptor meus es Domine.

℣. Amauit eum Dominus, & ornauit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

De Epiſtola prima beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

Lectio j. Cap. I.

Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio; Vt quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Tu autem.

℟. Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus. * Et reuelaſti ea paruulis.

℣. Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini. Et reuelaſti ea paruulis.

Lectio ij.

Et ego cùm veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annun-

ciaus

cians vobis teſtimonium Chriſti: Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos, & ſermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Tu autem Domine.

℟. Beatus quem tu erudieris Domine: * Et de lege tua docueris eum.

℣. Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabit, & conculcabit leonem, & draconem. Et de lege tua docueris eum.

Lectio iij.

NOs autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur: Spiritualis autem iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Quis enim cognouit ſenſum Domini, qui inſtruat eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus. Tu autem Domine.

℟. Cibauit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: * Et aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum.

℣. Quoniam præuenit eum in benedictionibus dulcedinis. Et aqua. Gloria Patri. Et aqua.

In ſecundo Nocturno.

Antiphona. Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum ſuum: Dominus exaudiet me, cùm clamauero ad eum.

Pſalm. Cùm inuocarem.

Aña. Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedixiſti iuſto.

Pſalm. Verba mea auribus.

Aña. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius oues, & boues vniuerſas, inſuper, & pecora campi.

Pſalm. Domine Dominus noſter.

℣. Os iuſti meditabitur ſapientiam.

℟. Et lingua eius loquetur iudicium.

Lectio iv.

PAſchalis Baylon, pauperibus, pijſque parentibus, in Oppido Turris Formoſæ, Seguntinæ Diœceſis in Aragonia natus, à teneris annis plura dedit futuræ ſanctitatis indicia. Sortitus animam bonam, ac rerum cœleſtium apprimè ſtudioſam, pueritiam, atque adoleſcentiam in Gregis cuſtodiam tranſegit; quam ille viuendi rationem, ideò præcipuè diligebat, quod humilitati fouendæ, ac innocentiæ conſeruandæ in primis vtilem, atque opportunam iudicaret. Erat in victu modicus, in oratione aſſiduus; tantaque apud coæuos, & ſocios florebat auctoritate, & gratia, vt eorum lites componens, errores corrigens, ignorantiam erudiens, ac deſidiam excitans, velut omnium parens, & Magiſter maximo ſtudio coleretur, ac amaretur: Beatus etiam tum à pleriſque appellatus. Tu autem.

℟. Paſchalis ab infantia timere Deum cœpit, & abſtinere ab omni peccato. * Cumque eſſet iunior omnibus, nihil tamen puerile geſſit in opere.

℣. Solus hominum conſortia fugiens, pergebat ad templum Domini, & legem eius puerulus obſeruabat. Cumque eſſet.

Digitized by Google

Lectio v.

QVi verò in ſæculo, terra nempè deſerta, & inaquoſa, adeò feliciter adoleuerat, flos conuallium, plantatus in domo Domini mirum vbique ſparſit ſanctitatis odorem. Igitur Paſchalis arrepto vitæ ſeuerioris inſtituto, atque in Ordine Minorum Strictioris Obſeruantiæ Diſcalceatorum cooptatus, exultauit vt gigas ad currendam viam ſuam, totumque ſe Domino excolendum tradens, dies, noctesque cogitabat, qua ſe ratione magis ei, magiſque conformaret. Ita factum eſt breui, vt eum, tanquam Seraphicæ perfectionis exemplar, ipſi quoque prouectiores imitandum ſibi proponerent. Ipſe autem in humili ſeruientium gradu conſtitutus, ſe velut omnium peripſema reputans, ardua quæque, & abiecta domus miniſteria, veluti iure quodam peculiari ſibi debita ſumma cum hilaritate ſuſcipiebat, & exercebat humilitate, ac patientia pari. Carnem ſpiritui quandoque reluctari nitentem iugi maceratione afflictauit, atque in ſeruitutem redegit; ſpiritum verò, aſſidua ſui abnegatione, feruentiorem in dies ad anteriora extendebat. Tu autem.

℟ Elegi abiectus eſſe in domo Dei: * Magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

℣ Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum. Magis quam.

Lectio vj.

DEiparam Virginem, cuius clientelæ ſe ab ineunte ætate dicauerat, tanquam matrem, quotidianis colebat obſequijs, atque filiali exorabat fiducia. Porrò erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum difficile dictu eſt quam ardenti teneretur deuotionis affectu, quem defunctus etiam in cadauere retinere viſus eſt, dum iacens in feretro, ad ſacræ hoſtiæ eleuationem bis oculos reſerauit, & clauſit, magna omnium, qui aderant, admiratione. Eiuſdem veritatem inter hæreticos publicè, palamque profeſſus, multa, & grauia ob eam cauſam perpeſſus eſt: crebrò etiam ad necem petitus, ſed ſingulari Dei prouidentia impiorum manibus ereptus. Sæpè inter orandum omnibus deſtituebatur ſenſibus, dulcique languebat amoris deliquio: quo tempore cœleſtem illam ſcientiam hauſiſſe creditus eſt, qua homo rudis, & illiteratus de myſterijs Fidei difficillimis reſpondere, atque aliquot etiam libros conſcribere potuit. Denique meritis plenus, eadem qua prædixerat hora feliciter migrauit ad Dominum, anno ſalutis milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, ſexto decimo Kalendas Iunij, eodem quo natus fuerat, Feſto Pentecoſtes recurrente, annum agens ſecundum ſupra quinquageſimum. Quibus, alijſque virtutibus inſignem, ac miraculis tam in vita, quàm poſt mortem clarum, Paulus Quintus Pontifex Maximus illum Beatum appellauit: Alexander autem Octauus Sanctorum catalogo adſcripſit. Tu autem.

℟. Dominus regit me, & nihil mihi deerit * In loco paſcuæ ibi me collocauit. ℣. Innocentem manibus, & mundo corde. In loco. Gloria Patri. In loco.

In tertio Nocturno. Antiphona.

Domine iſte Sanctus habitabit in tabernaculo tuo, operatus eſt iuſtitiam, requieſcet in monte ſancto tuo.

Pſal. Domine, quis habitabit.

Antiph.

Digitized by Google

Antiphona. Multorum vitam petijt à te, & tribuiſti eis longitudinem dierum.

Pſal. Domine in virtute tua.

Antiphona. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo: quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

Pſalm. Domini eſt terra.

℣. Lex Dei eius in corde ipſius.

℞. Et non ſupplantabuntur greſſus eius.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Expoſ. moral. in Iob. lib. 34. cap. 17.

AVdiant ſimul omnes. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Audiant omnes. Immundus eſt apud Deum omnis, qui exaltat cor ſuum. Audiant omnes: Quid ſuperbis terra, & cinis?. Contra huius languoris peſtem audiamus cuncti, quid magiſtra veritas docet dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Ad hoc namque vnigenitus Dei filius formam infirmitatis noſtræ ſuſcepit; ad hoc inuiſibilis, non ſolùm viſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit; ad hoc contumeliarum ludibria, irriſionum opprobria, paſſionumque tormenta tolerauit, vt ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus. Tu autem.

℞. Elegit Dominus Paſchalem ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium. * De poſt fętantes accepit eum.

℣. Propter veritatem, manſuetudinem, & iuſtitiam. De poſt.

Lectio viii.

QVanta ergo humilitatis virtus eſt, propterquam ſolam veraciter edocendam is, qui ſine æſtimatione magnus eſt, vſque ad paſſionem factus eſt paruus? Quia enim originem perditioni noſtræ ſuperbia præbuit diaboli, inſtrumentum redemptionis noſtræ inuenta eſt humilitas Dei. Hoſtis quippè noſter magnus inter omnia conditus videri ſuper omnia voluit elatus. Redemptor autem noſter magnus manens ſuper omnia, fieri inter omnia dignatus eſt paruus. Quia igitur Redemptor noſter corda regit humilium, & Leuiathan iſte rex dicitur ſuperborum, apertè cognoſcimus, quod euidentiſſimum reproborum ſignum ſuperbia eſt, at contra humilitas electorum. Tu autem.

℞. Benedicam Dominum in omni tempore. * Semper laus eius in ore meo. ℣. Quoniam ipſe conſolatur humiles, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius. Semper laus eius. Gloria Patri. Semper.

Lectio ix.

CVm ergo quam quiſque habeat, cognoſcitur: ſub quo rege militet inuenitur. Vnuſquiſque enim quaſi quemdam titulum portat operis, quo facilè oſtendat ſub cuius ſeruiat poteſtate rectoris. Vndè & per Euangelium dicitur: ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Ne igitur nos Leuiathan iſtius membra, vel mira faciendo fallerent, apertum ſignum Dominus, quo deprehendi valeant demonſtrauit, dicens: Ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Qui & ſi quando fictam ſpeciem humilitatis aſſumunt, ſemetipſos tamen

Digitized by Google

celare in omnibus nequaquam poſſunt: quia eorum ſuperbia diù latere non ſuſtinens, cum ex alia tegitur, ex alia actione denudatur. Qui verò ſub rege humilitatis militant, ſemper pauidi, atque ex omni latere circumſpecti, aduerſum iacula elationis pugnant, & quaſi contrauenientes ictus ſolùm magis in ſuo corpore oculum cuſtodiunt, dum in ſemetipſis principaliter humilitatem tuentur. Te Deum.

AD LAVDES.

Antiph. Ecce iam regnat in cœlo decorem indutus, quem in terra lacera veſtis contexit. Pſalm. Dominus regnauit. cum reliquis de Dominica. Antiph. Introiuit exultans in conſpectu Dei, vt ouis mitiſſima paſcuæ eius. Antiph. Eduxit fontes aquarum in terra deſerta, & inaquoſa, vt virtutem, & gloriam Dei multi viderent. Antiph. Sancti, & humiles corde benedicite Domino, quia vobiſcum eſt ſermocinatio eius. Antiph. Beneplacitum eſt Domino in populo ſuo, & exaltauit manſuetum in ſalutem.

Capitulum. 1. Cor. 2.

NOs autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quę à Deo donata ſunt nobis: quæ & loquimur, non indoctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus. Hymnus.

QVam ſe Deus mirabilem
Paſchale in almo prædicet,
Noſter chorus, miracula
Eius recenſens, concinat.

Adeſt vocatus omnibus;
Repentè curat languidos;
Parata queis ſunt funera
A mortis aufert faucibus.

Hunc dum fides non hæſitans
Matris dolentis inuocat,
En ſurdus audit protinus,
Cæcuſque cernit filius.

Cæſum ſecurè, ſuſtinet
Quem vix cutis pars, indicem;
Ipſum ſacerdos deprecans
Statim recepit integrum.

Terram Colonus aridam
Semel ligone percutit,
Iugiſque fontis riuulum
Armento, & agris obtinet.

Liquor ſacro ex cadauere
Manat ſuauis triduo,
Qui ſanat inſanabiles
Morbos, tumores, vlcera.

Cuſtos beati corporis
Auditur Arca pulſibus
Lenis ſonare in proſperis
Rebus, tonare in triſtibus.

Almo precante Famulo
Cor, Chriſte, noſtrum ſuſcita,
Ne quando pulſes ianuam
Stulto ſopore torpeat. Amen.

℣. Ora pro nobis beate Paſchalis.
℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ad Benedictus, Antiph.

In ſanctitate, & iuſtitia ambulauit Paſchalis coram Domino, & accepit ſcientiam ſalutis ad ædificationem plebis eius. Oratio.

DEvs, qui beatum Paſchalem Confeſſorem tuum mirifica erga corporis, & ſanguinis tui ſacra myſteria dilectione decoraſti; concede propitius, vt quam ille ex hoc Diuino conuiuio ſpiritus percepit pinguedinem, eamdem & nos percipere mereamur. Qui viuis, &c.

Ad Horas Antiph. de Laudibus.

AD PRIMAM.

Antiphona. Ecce iam regnat.
Lectio breuis. Dico autem. vt in Capit. ad Nonam.

AD TERTIAM.

Antiphona. Introiuit exultans.
Capit. Videte vocationem veſtram.

vt

Digitized by Google

vt in primis Veſperis. ℟. breue, & ℣. vt in Communi Confeſs. non Pontificis.

AD SEXTAM.

Antiphona. **Eduxit fontes.**

Capit. **Nos autem non ſpiritum:** vt in Laudibus.

℟. breue, & ℣. de eodem Communi.

AD NONAM.

Antiphona. **Beneplacitum eſt.**

Capitulum. Rom. 12.

Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi omnibus, qui ſunt inter vos: non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.

℟. breue, & ℣. de Communi.

In ſecundis Veſperis. Omnia vt in primis præter Antiphonam ad Magnificat. **Exultauit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo, quia reſpexit humilitatem ſerui ſui.**

Deinde commem. de ſeq. Antiph. **Similabo.** ℣. **Amauit.** Oratio propria, vt in die Natalis illius 20. Maij.

DIE XVIII. MAII.

Secunda die infra Octauam fit de Translatione S. Bernardini.

Cum commem. in Laudibus, & ij. Veſp. de Oct. S. Paſchalis, vt in feſto, ſed ℣. **Iuſtum deduxit Dominus.** de Communi.

DIE XIX. MAII.

Tertia die fit de Beato Felice de Cantalicio, cum commem. in Laudib. de Oct. S. Paſchalis. Omnia vt in Feſto, non verò in Veſp.

DIE XX. MAII.

Quarta die de S. Bernardino Confeſſore.

In Veſp. commem. de Oct. S. Paſchalis, vt in ij. Veſp. Feſti. ℣. **Iuſtum deduxit.** de Communi.

Quæ commem. omittitur, ſi die 21. fiat de Oct. S. Bernardini, de quo videatur in fine huius libelli.

DIE XXI. MAII.

Quinta die. Omnia, vt in feſto præter ea, quæ ſequuntur.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In ſecundo Noctorno.

Lectio iv.

Beati Paſchalis memoriam celebrantes, ea nos decet attentione virtutes eius contemplari, vt quemadmodum ipſius præmio lætamur, ita non minus proficiamus exemplo. Ex multis autem prima nos ad ſe rapit admirabilis innocentia morum, quam integram ſemper, & quantum fieri poteſt illibatam ſeruauit, ab ijs etiam maculis, quas humana fragilitas leues vocat, & facit. Dum adhuc puerulus gregis cuſtodię vacaret, nullis adhortationibus, aut minis à Præfecto paſtorum adduci potuit, vt vuæ racemum ex aliena vinea decerperet, aut ab alijs ablatum guſtaret, ne vel in minimo proximi rebus obeſſet. Ita ſi quando palantem gregem ab inuaſione ſatorum cohibere non potuiſſet, primus ipſe damnorum illatorum accuſator, & æſtimator acerrimus, ea ſedulitate, ac fide ſatisfacere dominis ſatagebat, vt inſolitam in ruſticano adoleſcente ſollicitudinem non modo ſuſpicerent homines, verùm etiam Deus ipſe miraculo comprobare viſus ſit, depaſtam ſegetem non expectata vbertate fecundans. Tu autem Domine.

℟. **Paſchalis ab infantia. 3.**

Lectio v.

Ne caſtitatem amitteret, quam ab omni ſceleris afflatu cuſtodiuit immunem, adoleſcens etiamnum, & pauper, oblatam ſibi cum diuite patrimonio vxorem conſtanter recuſauit; ſeque in Religionis portum recepit, habitum in Con-

uentu Beatæ Virginis Mariæ Lauretanæ, Prouinciæ Sancti Ioannis Baptiſtæ in Regno Valentiæ ſuſcipiens. Ibi Seraphicæ Regulæ cultor eximius, nihil ex ijs, quæ ad eius obſeruantiam pertinerent negligendum ſibi putauit, ratus mentem Chriſto deditam æquè in maximis, ac in minimis intentam eſſe debere. Cùm tamen vitam duceret Angelicæ ſimilem, non ideò ſe tanquam iuſtum abſoluit, imò in ſe ipſum veluti peccatorum omnium ſceleſtiſſimum implacabili ſeueritate animaduertit. Itaque quotidiano fermè ieiunio corpus macerans, multa ſibi ex communi, ſobrioque victu ſubtrahebat, quæque tandem admittebat edulia, varijs ea modis reddebat inſipida, vt cùm aliquid naturæ neceſſitati concedere cogebatur, ſimul etiam carnis conſuleret mortificationi. Plerumque Fratrum reſidua ſibi colligens, aut etiam olerum, lactucarumque inter oſſa proiectarum reliquias, ferculum ſuum egenis reſeruabat intactum. Tu autem Domine.

℣. Elegi abiectus eſſe. 4.

Lectio vj.

VNica, & pauperrima veſtiebatur tunica, etiam in regione, ac hyeme frigidiſſima, interque glaciales cruſtas, & niuium algores diſcalceatus ambulabat. Cellam per aliquot annos ita pauperem incoluit, vt oſtio carens, non modica ſui parte diſcooperta omnibus temporum pateret iniurijs. Membra ferreis catenis, cilicijs aſſiduis, duriſque flagellationibus afflictata, breui paucarum horarum ſomno recreabat, quod vel humi, vel ſupra rude ſtragulum iacens; ac ne iacens quidem, ſed penoſa totius corporis curuatione in globum contractus capiebat. Inter hæc Deo vires addente, atque attriti corporis imbecillitatem ſpiritus feruore ſuperante plurium obibat miniſteria ſolus. Quod ſi quando ægrotus decumberet, nihil ex conſueta pœnitentia relaxabat, niſi obedientiæ præcepto compulſus: tunc ſolùm de vna virtute aliquid remittens, cùm locum eſſet excellentiori daturus. Tu autem.

℟. Dominus regit me. 4.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et reliqua.

Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Tom. 4. quæſt. 100. ex vtroque mixtim.

ITa Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Igitur ſi dictorum ſenſum inſpiciamus, videbimus ea quæ ad exhortationem credentium à Domino dicta ſunt, eorum qui propterea quod mundanam ſapientiam ſpernunt, paruuli videntur ſapientibus mundi, qui nullo teſtimonio comendati ſapientes volunt dici. Idcircò indignum viſum eſt Deo his oſtendere veritatem: humilibus autem, qui nihil de ſe præſumentes Diuinæ ſe voluntati inclinant, æquitate cogente ſalutaria reuelanda ſunt. Hic enim prudens Deo eſt, & ſalutis ſuæ memor, qui ſcientiæ ſuæ anteponit Dei legem, quam vtique videt non verborum ſtrepitu fulciri; ſed rerum virtutibus. Et ſine dubio hic ſtultus, & vanus eſt, qui huic rei ſe commendat, quæ nulla mu-

munitur prærogatiua ſignorum. Tu autem.

℟. Elegit Dominus. ſ. Lectio viij.

VNde non litteratis ſæculi regnum Deus promiſit, ſed fidelibus: neque ſcrutatoribus ſyderum æternitatem pollicetur, ſed rectè agentibus: non dialecticis, qui fraude, & minutis quibuſdam ratiunculis verum excudere nituntur, gloriam dat, ſed bonæ voluntatis hominibus, qui accuratè magis vita ſunt, quam ſermone. Iſtos enim reprobat Deus, qui oratione clari ſermonis magis vti volunt, quam bonis actibus. Nam & gloriam Dei in ſe vult conuertere, qui rem Dei verbis exornare ſe putat. Res enim ipſæ per ſe placere debent, vt non ſermo, ſed ſenſus laudetur. Si enim ſenſus author eſt litteræ, & verba propter res ſignificandas inuenta ſunt, cur non magis res ipſæ puro ſenſu promendæ ſunt, vt fęlicius mentem incitent ad ſalutem? Ideòque piſcatores elegit Dominus noſter Apoſtolos, homines ſimplices, & ſine litteris, qui ſine aliqua verſutia fidem ſeruando, & benè viuendo, Dei in ſe oſtenderent veritatem. Tu autem.

℟. Benedicam Dominum. ſ. Lect. ix.

VNde & Apoſtolus Paulus, & ego veniens, inquit, ad vos fratres non veni in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ. Et inter cætera, quia non ait, in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute: vt quia verba contradictioni obnoxia ſunt, Dei legi virtus teſtis exiſteret, cui omnis cedit ſermonum ſublimitas. Itaque hæc idcircò promiſſa ſunt, fratres chariſſimi, vt conſuleretur ſimplicioribus: ne fortè indignos ſe putarent gratia Dei, quia minimè ſunt literis forenſibus eruditi, cùm magis ad laudem proficiat ſimplicitas eorum: quoniam quod prudentes mundi non vident ſuperbia literarum, hoc reddunt non verbis, ſed conſilio prudentes. Sciunt enim in bonis operibus requieſcere Deum, & fidem quærere, non cultum ſermonum. Legunt enim dicentem Dominum, in quo requieſcam niſi in humili, & manſueto, & tremente verba mea? Quamobrem vt digni efficiamur ad præmiſſa præmia, ea quæ à Domino iubentur, facere debemus, ſecuri quia hos diligit Dominus, qui verba eius cuſtodiunt. Te Deum.

In Laudibus commem. de S. Bernardino. Aña. Euge. ℣. Iuſtum deduxit. Oratio propria.

In Veſp. Aña. Hic vir. ℣. Iuſtum deduxit. Oratio propria.

DIE XXII. MAII.

Sexta die infra Octauam.

Omnia vt in die feſto præter ea, quæ ſequuntur.

Lectiones primi Nocturni de ſcriptura currente.

In ſecundo Nocturno. Lectio iv.

NEque verò pœnitentijs tantùm, verùm etiam Paſchalis delicijs modum imponebat obedientia. Ad hanc enim ita promptum, & expeditum ſe longa exercitatione comparauerat, vt etiam cùm in extaſim raptus ineffabili amoris dulcedine frueretur, audita Superioris voce, ſtatim ad ſenſuum externorum vſum rediret, veluti imperata facturus. Nihil à Superioribus petere, nihil ab eis iniunctum detractare ſolemne illi fuit. Iuſſus aliquando longum, & maximè periculoſum iter arripere, nihil cunctatus, neque peram, neque tunicam, aut ſandalia ſumens, viam alacris ingreſſus eſt, eamque per innumera vitæ diſcrimina perfecit. Enimverò qui Spiritum Sanctum per os Prælati ſui loquentem ſibi videba-

debatur audire, eius mandata non diſcutiebat, ſed adimplebat; obiurgationes verò maxima cum humilitate, ac gratiarum actione ſuſcipiebat. Tu autem.

℟. Paſchalis ab infantia. 3.

Lectio v.

ERga fratres, & proximos non minus beneficum, ac mitem, quam erga Superiores obedientem, ſe præſtitit Paſchalis, ſæpè dicere ſolitus, debere Chriſtianum hominem erga Deum habere cor filij, erga proximum cor matris, erga ſeipſum cor iudicis. Itaq; velut omnes miſeros ipſe in Chriſto genuiſſet, ſic omnium neceſſitatibus afficiebatur, vt verè matris viſcera in ſinu celare crederetur. Cùm omnium pauperum eſſet ipſe pauperrimus, reperiebat nihilominus, vnde aliorum fami conſuleret, non ſolùm conquiſitis vndique ſummo labore, ac ſtudio cibis, verùm etiam propriæ neceſſitati ſubtractis alimentis; imò quandoque annona, vt fertur, ad eius preces miraculosè multiplicata. Ianitoris, & Diſpenſatoris munera per multos annos obiuit, ſine tædio, ſine querela, vel ſua, vel aliorum: cumque omnibus omnia factus eſſet, vt omnes lucrifaceret, Sacerdotes tamen, & egenos præcipuè colebat, ac fouebat, tanquam in ſingulis Chriſtum ipſum ſuſciperet. Tu autem Domine.

℟. Elegi abiectus eſſe. 4.

Lectio vi.

QVamuis in humili laicorum ordine militans totus videretur corporalibus addictus exercitijs, ac procurandæ proximorum ſaluti parum idoneus, zelum tamen ſuum inter anguſtos huiuſmodi fines concludi non eſt paſſus. Quare pauperes, quos alebat, verbo ſimul, & exemplo ad virtutem hortabatur, & ſeuerus alioqui ſilentij cultor, plura cum exteris, & mundanis hominibus cœleſtium rerum miſcebat colloquia, quibus illi ſe mirificè recreatos, atque ad meliorem vitæ frugem excitatos fatebantur; Inerat quippè eius verbis mirifica quædam gratia, & arcana cœlitus adeò indita efficacia, qua non modo audientium animos alliceret, ſed etiam, vel inflammaret tepidos, vel pertinaces expugnaret. Ita quoſdam vindictæ deſiderio flagrantes, multiſque grauiſſimis viris diù fruſtrà tentatos, breui Paſchalis alloquio ita leniuit, vt non ſolùm pacem eatenus conſtantiſſimè negatam concederent, verùm etiam tantam, quam in ſe ipſis experiebantur cordis mutationem non ſatis perciperent, ac ſtuperent. Tu autem.

℟. Dominus regit me. 4.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum. Lectio vij. c. 11.

IN illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et reliqua.

Homilia S. Io: Chryſoſt. 39.

QVod enim hic confiteor dixit, idem valet, quod gratias ago. Gratias, inquit, tibi ago quoniam à ſapientibus, & prudentibus hæc cælaſti. Prudentes autem hic Scribas, & Phariſeos appellat: quibus verbis alacriores reddit diſcipulos, cùm intelligant illa ſe piſcatores eſſe conſecutos, à quibus illi ſummi, vt videbatur viri exciderunt. Cùm autem ſapientes dixerit, non illam veram laudabilem ſapientiam intelligit, ſed hanc, quæ ſæculari doctrina præſtatur: idcircò etiam non dixit:

Google

xit: ſtultis reuelaſti, ſed paruulis, quaſi, non fucatis, ſed ſimplicibus. Ita oſtendit, non indignè illos, ſed iure his rebus fuiſſe priuatos, ac per omnia nos docet ſtatum ſuperbiæ omninò eſſe fugiendum, ac ſimplicitatem admirandam. Tu autem.

℟. Elegit Dominus. ſ.

Lectio viii.

QVod Paulus amplioribus verbis ſcribit, dicens: ſi quis in vobis videtur in hoc ſæculo ſapiens eſſe, is fiat ſtultus, vt ſapiens efficiatur; ſic enim gratia Dei monſtratur. Cur verò gratias agit Patri, cum ipſe illud fecerit? ſicut orat, & intercedit pro nobis ad Deum, magnam erga nos declarans charitatem, ſic etiam, & hoc ex charitatis feruore peragit, & ſimul oſtendit, non ab ipſo ſolùm, verùm etiam à Patre illos excidiſſe. Deinde ex his oſtendit tum ſuam, tum Patris primariam, & antecedentem voluntatem. Vt enim ſuum eſt gratias agere, atque gaudere, quod paruuli recepti ſunt; ſic Patris eſt, ne precibus flectus, ſed ſponte ſua commotus id feciſſe videatur. Tu autem.

℟. Benedicam Dominum. ſ.

Lectio ix.

SIc enim, inquit, fuit placitum ante te; ideſt, ſic tibi Patri omnium placuit. Sed cur tandem, inquies, occultata ab illis ſunt? Audi Paulum dicentem: Quoniam quærentes propriam iuſtitiam ſtatuere, iuſtitiæ Dei ſubiecti non fuerunt. Perpende igitur qualiter affici diſcipuli debebant, cum audirent, quia ſapientes non nouerunt, quæ ipſi cognouerunt, & cognouerunt paruuli permanentes, ipſius Dei reuelatione. Reuelatio enim magnarum ſibi rerum, non ſtudio, nec merito ſuo conceſſa fuit; quapropter Scribæ, & Phariſæi, qui ſe ſua opera ſapientes eſſe arbitrabantur, ſuo elati tumore ceciderunt. Quare ſi arrogantia illis obfuit, formidate vos, inquit, vt paruulorum ſtatum conſeruetis non ignorantes id illud eſſe, quod vobis hæc reuelari effecit, cuius contrarium illos hac reuelatione priuauit. Te Deum.

Commem. de S. Bernardino in Laudib. & Veſp. ſicut heri.

DIE XXIII. MAII.

Septima die infra Octauam. Omnia, vt in die feſto præter ea, quæ ſequuntur.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura currente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iv.

VErùm alios inflammare non erat Paſchali arduum, qui totus ardebat, & in camino mentis ſuæ faces illas accenderat, quas in aliorum corda iaciebat. Hanc ille flammam aſſidua nutriebat oratione, noctes fermè integras in Eccleſia vigilans genuflexus, & immotus, magnamque diei partem in eodem ſtudio traducens, totum nempè quod ſupererat temporis alijs obedientiæ muneribus adimplendis. Quin & inter ipſam mentem à cœleſtium meditatione auocare non videbatur, vt planè in Paſchalis vita, euangelicum illud: oportet ſemper orare, & nunquam deficere, quantum homini fas eſt, videretur impletum. Licet autem hominum oculos effugeret, & dona, quibus supernè ditabatur conaretur occulere, ſæpè nihilominùs viſus eſt omnibus ereptus ſenſibus in abyſſu ineffabili Diuini amoris abſorberi, aliquando etiam à terra eleuari, carne ſpiritum ſequente naturalis grauitatis oblita. Nec defuit vir grauis, & prudens, qui

Digitized by Google

qui à Paſchali nondum Religioſo conſcientiæ arbiter adhibitus teſtatum reliquerit, vix potuiſſe ſanctum illum adoleſcentem, orationem Dominicam cum ſalutatione Angelica recitare, quin ſtatim in extaſim raperetur. Tu autem.

℟. Paſchalis ab infantia. 3.

Lectio v.

CVm Deum vbique præſentem ſemper ante oculos haberet, illum tamen in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, velut in proprio throno reſidentem impunè venerabatur. Hoc erat negotium eius præcipuum, hoc ſolatium vnicum, ibi requiem feſſus, auxilium tentatus, leuamen afflictus quærebat. In eo itinere, quo Lutetiam vſque Pariſiorum ex Hiſpania fuit amandatus, parum abfuit quin pro confeſſione ſacri huius myſterij trucidaretur. Sæpè ab hæreticis tentatus, ſæpè ludibrio habitus, ſemel carcere detentus, & fame, ſitique confectus, alibi lapidibus obrutus, alibi ſupplicio iam addictus, vix eorum furorem euaſit, gaudens pro nomine Ieſu contumeliam pati. Alicubi de Sacramento eodem diſſerere coactus veritatis inimicos in multiloquio confidentes, & ſpiritu mendacij, tam ſolidis rationibus coarguit, vt reſiſtere non poſſent ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur in eo. Tu autem.

℟. Elegi abiectus eſſe. 4.

Lectio vj.

ET hoc quidem infuſæ ſapientiæ donum admirabile fuit in Paſchali, qui nullis imbutus litteris difficillimas Theologiæ quæſtiones magna perſpicuitate penetrabat, & propoſitos à profeſſoribus nodos mira facilitate explicabat. Experti id ſunt Religioſi quamplures, & docti viri, ſatiſque, & abundè teſtatum faciunt duo, quæ reliquit ſua manu ſcripta volumina, in quibus de ſublimioribus Chriſtianæ fidei myſterijs ſumma cum claritate, ac breuitate ſcriptum reperitur quidquid à conſumato Theologo poſſet expectari. Elucebat in eius ſcientia, prudentia quoque ſingularis propter quam à Superioribus interdum ſuis conſulebatur; nec raro contigit, vt Guardiani abſentis, aut Nouitiorum Magiſtri vices ſupplere Laicus ipſe à Sacerdotibus cogeretur inuitus. Sæpè prophetico afflatus ſpiritu abſentia vidit, euentura prænunciauit, & abſcondita cordium introſpexit. Multa quoque de ſtatu animarum à corpore ſeparatarum cognouit, ac ſuperſtitibus reuelauit. Tu autem.

℟. Dominus regit me. 4.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et reliqua.

Homilia ſancti Io: Chriſoſtomi. 39.

QVomodo autem, inquies, quæ dicta ſunt perficiam animo? ſi humilitate ſincera, ſi manſuetudine vera, ſi moderatione integra te communies. Humilitas quippè virtus eſt, & ſublimioris Philoſophiæ mater, atque origo. Propterea etiam cum nobis Diuina traderet inſtituta, ab humilitate initium fecit. Et hoc in loco ab eo iterùm exorſus magnam pollicetur mercedem. Non enim alijs, inquit, ſolùm accomodus, atque vtilis fueris, ſed tibi ipſi firmam, ſtabilemque requiem comprestabis. Inuenietis enim animabus ve-

Digitized by Google

veſtris requiem, inquit; ſic antequam futura veniant, hic quoque retribuit, & victoriæ prẹmium præbet,non ſolùm hac ratione,ſed etiam ſeipſum in exemplo nobis proponendo faciens, vt acceptior doctrina hæc ſua,&gratior eſſet.Tu autem.

℟. Elegit Dominus. 5.

Lectio viij.

QVid enim dubitas, inquit, ne minor, atque deſpectior propter humilitatem videaris? In me igitur reſpice: meaque omnia hæc præcepta non ab alio, ſed à memetipſo diſcas; ita enim & luce clarius patebit tibi quam maximum bonum humilitas ſit. Conſidera quomodo his omnibus, vt humilitatem præcipuè colant ipſis perſuadet. Primo in his, quæ ipſe peregit. Diſcite, inquit, à me, quoniam mitis ſum; Deinde magnitudine retributionis: Inuenietis enim requiem animabus veſtris; Præterea his, quæ gratis affert: Ego enim, inquit, refocillabo vos; Ad hæc quia facilem rem, atque ſuauem eſſe approbauit: Suaue namque iugum eſt, inquit, & onus meum leue. Tu autem Domine.

℟. Benedicam Dominum. 5.

Lectio ix.

QVod ſi adhuc iugum, ac onus audiendo formidas nimium, atque perhorreſcis; non naturæ rerum huiuſmodi timorem, ſed ignauiæ totum attribuas; nam ſi accinctus, & præparatus eris, & nulla deſidia effeminatus, cuncta tibi facilia, leuiſſimaque videbuntur. Quapropter etiam Chriſtus, vt quanta cura vigilandum eſſet certiores nos redderet, non commoda, & ſuauia tantum poſuit, nec etiam tantum oneroſa, ſed vtrumque complexus, & iugum dixit; & ſuaue appellauit; Onus appoſuit, & leue adiecit, ne aut tanquam laborioſa nimium fugeres, aut tanquam nimium facilia contemptu proſequeris. Te Deum.

In Laudibus commem. de Oct. Sancti Bernardini, ſicut heri.

Veſp. j. de Oct. S. Paſchalis. Dupl. vt in die Feſti.

Commem. de Oct. S. Bernardini. Antiph. Euge. ℣. Iuſtum deduxit. Oratio propria.

DIE XXIV. MAII.

Die Octaua Sancti Paſchalis.

Omnia vt in die Feſto, præter ea, quæ ſequuntur.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura currente.

In ſecundo Noctorno.

Lectio iv.

QVem adhuc in exilio degentem tot tantiſque chariſmatibus ditauerat Deus ſemper mirabilis in ſeruis ſuis eum frequentioribus, & illuſtrioribus prodigijs clarificare non omiſit iam coronatum in Patria. Vt igitur Beati Paſchalis obitum fama vulgauit, ad illius venerationem mira vndique populorum multitudo confluxit, cuius pietati triduana ſacri cadaueris expoſitione ſatisfieri vix potuit. Eo tempore ex illius vultu, & collo ſalutaris quidam liquor defluere cœpit, quo aliqui perliniti ab inueteratis vlceribus, & inſanabilibus tumoribus illicò conualuerunt. Quibuſdam venerabiles exuuias deoſculantibus, ita repentè attracta membra ſuo robori, ac vſui reddita ſunt, vt nunquam læſa viderentur, quibus antea nulla profuerant remedia. Quin & mulier ſexagenaria, cum ex alto delapſa talem paſſa fuiſſet oſſis ſacri fracturam, & alterius oſſis in femore luxationem, vt neque genua flectere, neque ſine fulcimentis incedere va-

le-

leret poſt quinquennium, adhuc inſepulti ſerui Dei manum oſculata, ſtatim os fractum conſolidari luxatumque ſenſit reponi, ac ſine impedimento expeditè ambulauit. Tu autem Domine.

℟. Paſchalis ab infantia. 3.

Lectio v.

SEptennis puer ab infantia ſurdus, & ita cæcus, vt ei nec ipſa quidem pupillarum veſtigia ſupereſſent, emiſso per afflictam matrem voto ſepulchrum Beati Paſchalis adeundi, perfectam vtriuſque ſenſus facultatem ex templo recuperauit, ac iugiter exinde retinuit. Nec minus alteri profuit conſimile vxoris votum, qui cum extrema vnctione delibutus iam ageret animam, & corruptis, præ morbi malignitate viſceribus teterrimum exalaret fœtorem, continuò ſurrexit incolumis, atque ad liberatoris ſui ſepulchrum parata funeri deferens conceptum votum vxore comite perſoluit. Eadem celeritate recepit alius indicem ſiniſtræ manus, quem ictu ſæcuris prope abſciſſum, & vix particulæ cutis adhærentem, ſtatim conſolidatis oſſibus, & neruis incolumen meruit intueri. Ipſa pœnitentiæ inſtrumenta, quæ Beati viri cruciatibus inſeruierant eius clientibus ſalutaria fuere: Nam cum paralytica mulier in dimidia ſui parte langueret exanimis, brachio, & crure pendentibus, manu attracta, digitis immobiliter aduncis, & carne lateris eiuſdem, vſque adeo conſumpta, vt ſanguine carens ſolam, & ſiccam pellem oſſibus ſuperinductam haberet, implorata Paſchalis ope, & admota læſis membris catena, qua Sanctus in vita præcingebatur, eodem momento ſenſum, & motum, & robur, & vitam redire ſenſit, & obſtupuit. Tu autem Domine.

℟. Elegi abiectus. 4. Lectio vj.

BRuta quoque, & inanimes creaturæ ſerui Dei beneficentiam ſunt expertæ, cum pius Agricola ſteriliſſimæ regionis ariditatem miſeratus, inuocato ſancti nomine perennis, & nunquam vel excreſcentis, vel deficientis aquæ fontem ad primum ligonis ictum exilire obtinuit, quo & illa terræ facies mirificè recreata, & armentorum ſiti opportunè conſultum fuit. Sed inter omnia, quæ ſupra naturæ vires ad Beati Paſchalis interceſſionem, & honorem operatus eſt Deus, illud in primis illuſtre, & plurimorum voce ſcriptiſque celebratum habetur, quod ex Arca, in qua venerabile corpus eius requieſcit, miraculoſi pulſus frequenter audiuntur: qui ſi placidè, ſuauiterque ſonant, felices euentus prænunciare noſcuntur; ſin autem ſtrepitu perſonant, grauiora infortunia futura portendunt. Accidit hoc ſæpè in magna populi frequentia, & coram ſummæ authoritatis Principibus, Prælatiſque: Quodque omnem ſuperat admirationem, idem aliquando miraculum ipſæ Beati Confeſſoris cartaceæ imagines præſtiterunt. Ita mortalium bono ſollicitus vigilat Paſchalis, vt non ſolum proſpera nobis, orando, conſequi ſtudeat, & aduerſa depellere, ſed eorum etiam vel anticipare lætitiam, vel incommodum imminuere præſagijs, monitiſque dignetur. Tu autem. ℟. Dominus regit. 4.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum. Lect. vij. Matth. 11.

IN illo tempore, reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine

Digitized by Google

mine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus,& reuelaſti ea paruulis. Et reliq.
Homilia ſancti Hilarij Epiſcopi.
Canon. 11. in Matth.

Cœleſtium enim verborum arcana, atque virtutes ſapientibus abſconduntur, & paruulis reuelantur. Paruulis malitia, non ſenſu: ſapientibus verò ſtultitiæ ſuæ præſumptione, non prudentiæ cauſis. Factique huius æquitatem Dominus paternæ voluntatis iudicio confirmat; vt qui dedignantur paruuli in Deum fieri, ſtulti deinde in ſapientia ſua fiant. Ac ne quid in illo minus, quam quod in Deo eſt exiſtimaretur, omnia ſibi à Patre ait tradita eſſe, ſolique ſe Patri cognitum, Patremque ſoli ſibi notum, vel cui ipſe reuelare voluiſſet: reuelaturus ei, à quo, vt reuelare velit oretur. Tu autem.

℞. Elegit Dominus. ℣. Lectio viii.

Qua reuelatione eamdem vtriuſque in mutua cognitione eſſe ſubſtantiam docet, cum qui filium cognoſceret, Patrem quoque cogniturus eſſet in filio, quia omnia ei à Patre ſint tradita: Tradita autem non alia ſunt, quam quæ in Filio ſoli nota ſunt Patri; nota verò filio ſoli eſſe, quæ Patris ſunt; atque ita in hoc mutuæ cognitionis ſecreto intelligitur, non aliud in Filio, quam quod in Patre ignorabile ſit, extitiſſe. Tu autem.

℞ Benedicam Dominum. ℣. Lect. ix.

Legis deinde difficultatibus laborantes, & peccatis ſæculi oneratos ad ſe aduocat; dempturumque ſe laborem onuſque promittit, ſi modo eius iugum tollant, mandatorum ſcilicet ſuorum præcepta ſuſcipiant, cumque ſacramento crucis adeant; quia corde humilis, & mitis ſit, & in his animabus ſuis requiem inueniant: Iugi ſuauis, & leuis oneris blandimenta proponens, vt credentibus eius boni ſcientiam præſtet, quod ſolus ipſe nouit in Patre. Et quid iugo ipſius ſuauius? quid onere leuius? Probabilem fieri; ſcelere abſtinere; bonum velle; malum nolle; amare omnes; odiſſe nullum; æterna conſequi; præſentibus non capi; nolle inferre alteri quod ipſi ſibi perpeti ſit moleſtum. Te Deum.

In Laudibus commem. de Octaua S. Bernardini, ſicut heri.

In ij. Veſp. Capit. de ſeq. commem. de præced. ℣. Iuſtum deduxit. De Oct. S. Bernardini. Aña. Hic vir. ℣. Amauit, & de S. Vrbano Papa mart. Aña, & ℣. de Communi, pro temp. Oratio propria.

Vbi Feſtum, & Octaua S. Paſchalis non habet priuilegium, die 21. quinta, 22, ſexta, 23. ſeptima infra Octauam fit de Oct. S. Bernardini. Semidupl. cum commem. de Oct. S. Paſchalis, vt in Feſto. ℣. Iuſtum deduxit.

Tempore Paſchali, Añæ, ℣. Inuit. ℞. dicuntur cum vno Alleluia, & ℣. Horarum cum duobus Alleluia, & tres Pſalmi dicuntur ſub prima Antiphona tantùm ad Matutinum in quolibet Nocturno.

FINIS.

Digitized by Google

Officium ſupradictum pro Feſto, & Octaua S. Paſchalis Baylon Ord. Min. Excalceat. S. Franciſci, cum Lectionibus, Inuitatorio, Hymnis, Antiphonis, Reſponſorijs, Homilijs, & Oratione proprijs, prout iacent, ab Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. Card. Colloredo reuiſa, correcta, & in Sacrorum Rituum Congregatione relata, eadem Sacra Congregatio approbauit, & à Religioſis Ord. Min. S. Franciſci vtriuſque ſexus, qui ad horas Canonicas tenentur, in poſterum ſingulis annis recitandum ſub ritu duplici ſecundæ claſſis, & in eorum Breuiario apponendum, & imprimendum cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit. Die 20. *Decembris* 1692.

Facta igitur deinde Sanctiſs. Domino Noſtro de prædictis per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua annuit. Die vltima eiuſdem menſis Decembris, & Anni 1692.

A. Card. Cybo.

Locus ✠ Sigilli.

B. Inghiramus Sac. Rit. Cong. Secr.

Digitized by Google